

NABI NARISCORVM
FLVVII QVERELA,

PROPEMPTICI LOCO
in scripta

NOBILII ET GE-
NEROSO HEROI AC
DOMINO, D. LODOVICO

VVRMIO IN VOLCRAMSHAVSEN &c.
invicto Iustitiæ & Pietatis propugnatori, optimoque optima-
rum artium, optimæque virtutis Patrono &c. cum 8. Calend:
Maii, anno 1589. à Nabpurgensibus, quibus per totum
septennium Palatini Electoris Consiliarius non
sine laude præfuerat, discedens,

*Serenissimi GEORGII FRIDERICI,
Marchionis Brandenburgensis &c. Consilia-
rius, & primus Montanarum Provinciarum
in Burggraviatu Norinbergensæ Capita-
neus apud Culnbacenses auspice Chri-
sto Emanuele feliciter inau-
guraretur.*

Autore

Iano Heinricho Scrötero de Güstrovv, Mega-
politano, Equite, & P. L. Cæsareo.

NORIBERGÆ,
In officina typographica Catharinæ
Gerlachia.

NABINARISCORVM

FLVVII QVERELA.

E Heu quid faciam? mea fata gemiscite, nostram
 Qui colitis ripam populi: NABVVRGICA pubes,
 Cum patribus matres, omnis cum cive senatus
 Flete meam sortem, vestramq; parentibus orbi
 Ut lugent pueri: Fluvij spes unica nostri,
 Et vestra Pater ac PRÆSES gratissimus urbis,
 VVVRMIVS eterno splendore ad sydera notus,
 TYRIGITÆ lumen terra, & pralustris a vitæ
 Nobilitatis honos, quo non felicior ullus,
 Sive viri purum specto pietatis amorem,
 Sive piam populi curam, sive intemeratum
 Justitiæ zelum sacra, reliquasq; benigni
 Herois dotes intentam mente revolve,
 Me, populosq; meos, teteq; tuosq; colonos
 Per septem totos revolutis mensibus annos
 Rite gubernavit, presenti in turbine rerum
 Nostrarum, interitum quando mihi cuncta minantur,
 Cunctaq; precipitem hinc illinc momenta ruinam
 Intentant patriæ, nostras relinquereripas,
 Atq; Iovis volucrum, RVBEIS qua splendida PENNIS
 Tota, DVCV M magni claro de sanguine BRENNI
 Condecorat clypeum, statuit sectarier, huius
 Ut SVPRAMONTANVM primus CAPITANEVS orbem
 Finibus in Francis positum, populosq; BOETHOS,
 Indomitos bello populos, gentemq; ferocem,
 Justitia & mira mentis gravitate gubernet,
 Hic ubi PLASSNBVRGICASTRI validissima moles
 Aëria rupe, ac petro fundata vetusto,
 Fulminis & venti temptrix fortissima MOENV M
 PINIFERI montis sobolem fluvialibus undis,
 Et CVLMBACENSEM prospectat desuper urbem,
 Urbem, ubi perpetuis patres considerare sellis
 Sunt soliti, & populis sacra dicere jura vocatis.

Flete

Flete meam sortem vos ô celeberrima terræ
Flumina Bojarica, veteris quæ clara PALATI
Rura humectatis, patria deflete parentis
Immatuum abitum, quem DVX nostra inclytus ora
Sapius, ut summo delapsum Numen Olympo,
In magnis regni rebus consulta rogabat,
Non dubitans illum certas didicisse per artes
Incolumem fessis rebus præstare salutem,
Ac labefactatas revocare in pristina vires.

Vos quoq; Pierides, mea maxima cura, sorores,
Quas mea ripa fovet, tristes lugete Patroni
Discessum vestri, qui vobis alter Apollo,
Mecænas alter, summo vos semper honore
Observans, vestros (res ô bene Nobile digna)
Sic coluit mystas, ut non requieverit unquam,
Donec, opem miseris larga bonitate Poëtis
Sponte ferens, spretas hac tempestate Camænas,
Ingenuasq; artes merito instaurasset honori.

O dolor, ô luctus, quis te Palinure Deorum
Ejecit nostris, VVV R MI ô clarissime, tectis?
O nobis semper VVV R MI Palinure fidelis.

O Patria infelix tellus, hei hei mihi, quantum
Præsidium, quantum columen, quantumq; levamen
Amittis, cuius tacito si corde volutas
Virtutes varias, & dona insignia mentis
Vix unquam longo poteris te solvere luctu.

Ah nimium nostris, volucris Iovis inclita, terris
Invida, quæ paucis pridem labentibus annis
Tot, tantosq; viros, nostri tot lumina regni
Clara, quibus nosmet superum Deus ille Deorum
Maximus invisos contra defendere rictus
Duxerat, à nostra traxisti finibus ora.

DOLTZCHERVM Megregium quondam, nunc morte peremptum,
Qui primum multos VALDECCIA castra per annos,
Post VETERIS rexit PROPRINCEPS clara PALATI
Arva, invidisti nobis. Hunc ultro secuti
VVILDENSTAINÆO gemini de sanguine fratres,

Quorum qui major natu GVLIELMVS a vite
Nobilitatis honos, vera & virtutis imago,
Nunc cælis vivens, AVRBACICA mænia quondam,
Ast etate minor, summum datus ornamentum
Artibus ingenuis, Phæbiq; extorris asylum,
Par fratri meritis, HOLOSTEINICA rexit ADAMVS.

Quid vero referam virtute ad sydera notum
MVMMIADEN, Themidis decus immortale, sacriq;
DOCTOREM juris? qui nunc, nullus licet ipso
Inter consultos Procere mihi gratior alto
Eloquio, nullus dandis prudentior alter
Consilijs, nostris tamen est semotus ab oris,
Ac ad concilium tua sub præclara vocatus
Mænia ONOLTZBACA, ut vir prudentissimus unus
Consultis tua regna juvet, si quando necesse est,
Germanamq; fidem rebus demonstrat in arctis.

Et nunc nostri etiam fluvii decus atq; Patronum
VVVMIADEN, SEPTEM qui totos rite per ANNOS
Præfuit his terris, Pietate insignis, & armis
Justitiæ, nostris auferens à sedibus, eheu
Quantum presidium! quantum mihi subtrahis astrum!

Hunc magno ingentem ingenio, factisq; decoris,
Et Pietate gravem & meritis, REINFELSIA terra,
Terra DVCI quondam HASSIACO præclara PHILIPPO
Regia, quam prudens per MESSES OCTO serenis
Consilijs juvit, reminiscitur, admiratur:
Hic etenim juvenis, vix illi ut quinq; fuissent
Lustra paracta, aula summos aggressus honores,
Tanta dabat patres inter consulta vocatos,
Cunctorum leto assensu fremituq; secundo,
Ut quoties Princeps summis de rebus habebat
Consilia, & patriæ dubios expendere casus
Fas erat, illius tantum responsa petebat.

Hunc maturum animi, fortunatumq; laborum,
Consilijsq; bonis pollentem CVRIA nostri
PRINCIPIS HEIDLBERGÆ claris sub mænibus ANNOS
Per TRES lata fovens demirabatur, & eius

Dicta

Dicta & facta probans consulta fidelia, prisci
Ut Tripodas Clarij lauros, & numina Phæbi
(Vana superstitio) Divorum oracla, colebat.

Sed LEO magnanimus RHENI tunc arva gubernans
SEPTEMVIR PRINCEPS LODOICVS ad aethera notus,
Justitiæ vindex, quem terris Numen ademptum
Suscepit Cælo, Divisq; immiscuit altis,
Postquam animadvertit, quod ei divinitus esset
Ingenium & matura animi prudentia rerum,
Sanctaq; dexteritas consultò in rebus agendis,
Illum majores rerum cupiebat habenas
Moliri in regnis, ubi res majoribus ipsa
Consiliis & majori sapientia egeret.

Jamq; novus nostris PRÆSES læto omine ripis
Designandus erat, qui tantum munus agendo
Dexteritate, fide, nec non gravitate valeret,
Cum se fama ferens veneranda ad Principis ora
Talia vocere fert: RHENI illustrissime PRINCEPS,
BOIARICIq; soli DVX optime, cernis ut, eheu,
Invidia varijs NABI memorabile flumen
Expositum telis (nam nunc ater obruit ipsum
Atergo PHRYMBVVS, nunc REGNVS fœdera rumpens,
Et solitos fratri cupiens præscindere cursus,
A fronte impugnat miserum) auxiliaribus armis
PRÆFECTOq; pio indigeat. Qui claret in aula
VVVRMIVS ipse tua, patribusq; tibiq; probatus,
Cur illi tales dubitas decernere partes,
PRÆFECTI qui cuncta tenet, quæ dona requiras?
Dicta probat PRINCEPS, mora nec, quin PRÆSIDIS alto
VVVRMIADEN titulo decoratum ad mœnia nostra,
Ad nostros jubet ire lares, urbemq; NABVRGAM,
Quam quanto studio, quanta Pietate, fideq;
Per septem lapsos Christo Duce rexerit annos,
Ut sileant homines immania saxa loquentur.
Tunc ter felicem, tunc dextro sydere faustum
Meme ipsum toties duxi, tunc patria tellus,
Tunc populi externi nobis de PRÆSIDE tanto

Gratantes me plus quam ter cecinere beatum,
Testis erit P H R Y M B D V S mihi, testis R E G N V S, & I S T E R,
Ister Teutonidum fluvius regnator aquarum.

Ast nunc ab nostris dudum nimis invida rebus
Fata superveniunt meme, & mea gaudia turbant,
Quoq; frui multos optavi saepe per annos
P R A E F E C T O, & tutore pio, patriaq; patrono,
Dura repente meis, dolor hei, sors avocat arvis,
Vertit & in miserum mea maxima gaudia luctum.

Quo properas fluvii, V V V R M I, spes unica nostri?
Quo traheris? cui discedens, L O D O I C E, relinquis
Me, populumq; meum, qui te sine P R A E S I D E, vasta
Ceu quondam ratis in mediis agitata procellis
Rectore orba suo, nunc huc nunc fluctuat illuc?

Per te, per qui te talem genuere parentes,
Per nostri, si qua, merita in te P R I N C I P I S, hoc per,
Quo fruimur, summi caeli inviolabile lumen,
Per si quid nostra, ut spero, pietate meremur
In te, magne Heros, humili te qua sumus ore,
Siste gradum, lacrymisq; veni non asper acerbis.

Aspicias ut noster totus cum cive S E N A T V S,
Ut Themis alma, tuas qua leta audiverat ante
In ripis nostris leges, ut Phæbus Apollo,
Qui sibi, qui castis Musis delegerat unum
Te Mecænatem, quamvis tibi fata secunda,
Majores etiam, queis nunc cumularis, honores,
Nequaquam invideant, tamen omnes multa dolentes,
Et querulos imo gemitus de corde trahentes,
Effundant lacrymas, teteq; meumq; suumq;
Tutorem ingeminant, iterumq; iterumq; reposcant.

Talis erat quondam facies, ni fallor, Vlyssen
Cum pia Penelope, charum cum mater Achillem
Ad Troiam querulo planctu sequeretur euntem.

Sed quia nec lacryma, nec vota precèsve meorum
Te nostris valeant retinere diutius oris,
Quinte M A R C H I A C V S P R I N C E P S, & C V R I A M O E N I
Incluta praeclaris C V L M I sub mænibus urbis,

Invi-

Inuitent, jubeat te pergere nobilis olim
Vis animi, rutilis quæ famam terminat astris,
Vade, vale, tibi qui terras pelagusq; profundum,
Et, quæ supremo lucent vaga sidera cælo,
Condidit, esto comes, donec cum CONIVGE chara,
Cumq; tuis NATIS, CVLMBACICA mœnia sedem
Justitiæ tangas: Hic te populiq; patresq;
Jam dudum lati tua consulta expectantes,
Implumes veluti pulli, quos pabula quærens
Deseruit mater, solitoq; diutius hæsit,
In nidis querulo absentem stridore requirunt,
Præsentem poscunt, pro te, LODOICE, Tonanti
Toto corde preces, pro te vota ore ferentes.

Ingrede ò igitur CVLMI felicibus VRBEM
Auspicijs, mæstasq; tuo, VVVRMI optime, terras
Aspectu exhilara, iam gaudia summa triumphant,
Triste superq; nihil: quid enim te triste recepto?

In primis verò superos venerare, Camænis
Et Phæbo addictus: Pietas tutissima virtus
Est homini: Pietatis honos tibi maximus esto.

Post regere imperio populos, LODOICE, memento,
Justitiæ colere, & fundatas legibus urbes
Servare utilibus, paci q; imponere morem,
Quin & non obstare bonis communibus unquam,
Parcere subjectis, nimio nec fasce gravare,
Tutari viduas, puerosq; parentibus orbos,
At punire malos & castigare rebelles.

Tu contra nobis fraterno fœdere iuncte,
(Ambobus siquidem nobis dat PINIFER ortum)
MOENE, viro tanto, tanto rectore beate,
VVVRMIADEN, moneo, generosum pectore toto
Accipe, consiliis, quæ dat pulcherrima, pare,
Atq; illum, summi sacrum ceu munus Olympi
Concessum tibi, fac casus complectere in omnes.
Huic est mens constans & ineluctabilis auro,
Huic pietas ingens, huic est amplissima rerum
Verborumq; fides, huic virtus aurea cordi.

Consilia

Conjilia iuuus, miramq; in rebus agendis
Dexteritatem animi nōrunt RHENVSq; NICE Rq;
Bojarici nōrunt patres, Bojusq; senatus,
Externi nōrunt populi, nōruntq; propinqu:

O NABI infelix flumen, tanto spoliatum
PRÆSIDE, quo nostris Pietas Duce fulsit in oris,
Artes quo sacra, quo floruit hæctenus æquum.

Salve, magne Heros, LODOICE ter inclyte, nulli
Nobilium inferior pietatis laude, nec ulli
Virtute egregia, nostriq; haud immemor olim,
Si fortasse tuam supplex mea terra benignam
Imploraret opem (namq; est opis indiga) sanis
Consiliis ripas que non desere nostras.
Pro quibus officijs, si quid mea Musa valebit,
Nulla dies neq; te, tua nec pulcherrima facta,
Virtutesq; tuas unquam memori eximet ævo:
Mollia dura prius fient, & dulcia amara,
Dextera leua oculi dicent & candida nigra,
Quam tua de nostris emigret fama medullis.
Quæ me fata regunt, VVVRMI, te semper amabo:
Munera semper enim tua me meminisse iuvabit,
Et tua facta canam: vires animosq; canenti
Sufficiat nobis summi moderator Olympi.


F I N I S.



Z/6457


M.F.





B.I.G.

Farbkarte #13



NABI NARISCORVM
FLVVII QVERELA,
PROPEMPTICI LOCO
in scripta

Z/6450

NOBILI ET GE-

NEROSO HEROI AC

DOMINO, D. LODOVICO

VVRMIO IN VOLCRAMSHAVSEN &c.

invicto Iustitiæ & Pietatis propugnatori, optimoque optima-

rum artium, optimæque virtutis Patrono &c. cum 8. Calend:

Maii, anno 1589. à Nabpurgensibus, quibus per totum

septennium Palatini Electoris Consiliarius non

sine laude præfuerat, discedens,

Serenissimi GEORGII FRIDERICI,

Marchionis Brandenburgensis &c. Consilia-

rius, & primus Montanarum Provinciarum

in Burggraviatu Norinbergensæ Capita-

neus apud Culnbacenses auspice Chri-

sto Emanuele feliciter inau-

guraretur.

Autore

Iano Heinricho Scrötero de Güstrovv, Mega-
politano, Equite, & P. L. Cæsareo.

NORIBERGÆ,

In officina typographica Catharinae
Gerlachia.